
Helgi G. Thordersen.

Haunia 1846.



De

illo fratre, cuius Paulus 2 Cor. VIII, 18 mentionem facit,

Commentatio.

Qua

Programmatis loco

inaugurationem Reverendissimi Episcopi Islandiæ

HELGII GUDMUNDI THORDERSEN,

Ordinis Danebrogici Equitis aurati,

Dominica IV post Festum S.S. Trinitatis

~~Festo Adscensionis Christi~~

in æde Divæ Virginis solenni ritu peragendam

indicit



D. ***Jacobus Petrus Mynster,***

Siellandiæ Ordinùmque Regiorum Equestrium Episcopus, Confessionarius Regius, Ordinis Dannebrogici magna cruce et cruce argentea ornatus.

Hauniæ MDCCCXLVI.

Typis Directoris Jani Hostrup Schultz,

Aulæ et Universitatis Typographi.

Ut dona pauperibus ecclesiæ Hierosolymitanæ destinata, quæ in itineribus suis conficere Paulus sibi semper honori et voluptati duxit, Corinthi et in Achaia colligeret, Tito persuaserat. Cum eo *τὸν ἀδελφὸν, οὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ διὰ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν,* mittit. Erat hic frater etiam a coetibus suffragio electus, qui cum Paulo hocce donum traderet (v. 19), quum Paulus, qui honestatem suam non Domino solum sed etiam hominibus probari studebat (v. 21), id solus curare nollet. Cum hisce duobus etiam alium mittit, quem *τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν, ὃν ἐδοκιμάσαμεν ἐν πολλοῖς πολλάκις σπουδαῖον ὄντα,* adpellat (v. 22), nec non utrosque eos esse *ἀποστόλους ἐκκλησιῶν, δόξαν Χριστοῦ,* prædicat (v. 23).

Hi fratres quum se unacum epistola coetui Corinthio coram sisterent, nomina eorum adponere, Paulo non opus erat, iis vero omissis posterioris ævi lectoribus problema proposuit, a cuius solutione tentanda vix abstinere possunt. Huic tamen disquisitioni mox finis imponendus esset, si Rückerto adsentire placeret coniecturanti, priorem illum, cuius v. 18 mentio fit, fuisse fratrem Titi, alterum autem Pauli fratrem [1]), sic enim statim adpareret, omnem quæstionem frustra futuram esse, quum nusquam alibi vestigium horum fratrum occurrat. Id autem ipsum, fratrem Pauli, quem sæpius multisque in rebus strenuum compererat, qui igitur illi multis in locis adfuerat, fratremque Titi, qui per omnes coetus laudibus celebrabatur, nullo vestigio relicto ex historia disparuisse, adeo incredibile est, ut vix monere necesse sit, si priore loco frater Titi indicaretur, vocabulo *ἀδελφὸν* adiungendum sine dubio fuisse *αὐτοῦ*. Quemlibet Christianum, præsertim si laborum partem sustinuerat, Paulus certe nomine "fratris, fratris nostri" insignire haud dedignabatur, quemadmodum illa etiam compellatio: *σύζυγε γνήσιε* Phil. 4, 3 unicuique operis socio competere potuit, neque facile alicui hoc loco cum Rückerto de fratre quodam germano cogitare in mentem veniet.

---

[1]) Die Briefe Pauli an die Korinther. II. 259. f. 265 f.

Quod ad illum v. 22 indigitatum fratrem adtinet, signa, quibus dignosceretur, adeo communia sunt, ut omnis spes eius inveniendi abiicienda sit. Insigniuntur is eiusque itineris socius v. 23 tamquam ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν, quod vocabulum ab interpretibus tantum non omnibus cum Chrysostomo de missione aliqua ab ecclesiis iis mandata (ὑπὸ ἐκκλησιῶν πεμφθέντες) intelligitur, neque ad tale mandatum quidquam aliud requirebatur, quam species quædam honestatis et integritatis, qua certe haud pauci gaudebant. Nos quidem hanc interpretationem falsam esse suspicamur, quum non nisi unus horum fratrum a coetibus electus esset, qui donum illud cum Paulo deferret, alter vero a Paulo ipso missus esset, neque igitur ecclesiarum legatus dici potuerit. Hæc etiam interpretatio insequenti vocabulo fortiori: δόξα Χριστοῦ haud convenire videtur. Potius ergo prædicato illi: ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν h. l. altiorem significationem tribuimus, illam nempe, iuxta quam doctores ecclesiarum, qui auctoritate præcellebant, Apostoli vocantur; hoc enim nomine non tantum Barnabas et Paulus Act. 14, 4. 14 insigniuntur, sed Rom. 16, 7 de Andronico etiam et Junia legimus: οἵτινες εἰσιν ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις. Sic quoque apud scriptores posteriores plerique doctorum ecclesiæ antiquæ Apostoli adpellantur [1]). Neque obiiciendum est, genitivum ἐκκλησιῶν eos indicare, a quibus missi essent, quum enim Paulus Rom. 11, 13 se ἐθνῶν ἀπόστολον vocet, hoc loco ii, ad quos missus erat, genitivo casu indicantur. Illud autem, quod iam adtulimus, Andronicum et Juniam nomine Apostolorum insigniri, satis demonstrat, nos hoc vocabulo non solum ad doctores primi gradus, si ita dicere licet, ablegari, atque adeo hac adpellatione nullum indicium habere, quo fratrem illum, posteriore loco commemoratum, etiamsi eius nomen in Actis Apostolorum aut in epistolis obviam sit, ab aliis dignoscamus.

Tanto autem magis verba Pauli nos provocant, ut nomen fratris illius, cuius in priore versu mentio facta est, verisimili saltem coniectura, investigemus. Vir, cuius laudes per omnes coetus celebrabantur, posteritati vix potest esse occultus, sed potius, ut nomen eius inter celeberrima, quæ nobis ex illis temporibus servata sunt, nomina quæramus, instigamur; quum-

---

[1]) Vid. Scharlingius ad Ep. ad Corinthios posteriorem pag. 76.

que Paulus eum nominare non necessarium ducat, persuasus, nullam Corinthi fore dubitationem, utrum duorum illorum fratrum, qui Titum comitabantur, illa descriptione indigitaret, merita eius haud vulgaria et ab omnibus agnita fuisse, iure nostro concludere possumus.

Sunt, qui existiment, hunc virum Tito inferiorem fuisse, cuius opinionis nullam prorsus rationem video, quum potius statuendum sit, eum ideo Tito adiunctum fuisse, quod huic, adhuc fortassis iuveni, non satis auctoritatis inesset. Erat autem is certe Paulo inferior, quippe qui a Paulo cum mandato ad coetus mitteretur. Hoc omnino contra Barnabam facit, de quo multi, præcedente Theodoreto, electionem illam coetuum ad Act. App. 13, 2 referente, cogitarunt. Multum autem differt hæc electio ab altera illa [1]; quo accedit, quod Barnabas ante Paulum evangelium adnunciaverat, unde, ex quo coniunctim agere coeperunt, nomen illius ab initio semper primo loco ponitur; et quamquam discordia inter eos exorta (Act. 15, 36 sqq.) sine dubio iterum composita sit, eos tamen postea coniunctim versantes non reperimus, neque credibile est, Barnabam missionem a Paulo ei demandatam suscipere voluisse. Orta erat discordia Pauli cum Barnaba Marci causa, cui illo tempore offensus erat Paulus; Marcus postea Petrum sequebatur, et seriore demum tempore eum denuo cum Paulo conversantem reperimus (Col. 4, 10. Philem. v. 24. 2 Tim. 4, 11), adeo ut Storrio [2], et Hitzigio [3], qui nostro loco Marcum designatum esse opinantur, omnis veri similitas adversatur. De Silvano, quem hoc loco indigitatum volunt Baronius [4]) aliique, recte observat Rückertus, eum Corinthiis bene notum fuisse (Act. 18, 5. 2 Cor. 1, 19), quum contra ille vir, qui hoc loco missus dicitur, iis ignotus aut certe minus familiaris fuisse videatur. Idem de Apollonio valet, et quod ad illos Macedonios adtinet, qui Paulum postea comitabantur (Act. 20, 4), et de quibus potissimum cogitandum esse voluit Michaelis [5]),

---

1) Cfr. Rückertus l. c. pag. 258.
2) Opuscula academica II. 339 sqq.
3) Ueber Johannes Marcus und seine Schriften S. 168 ff.
4) Annales ad a. 51. num. 64.
5) Indledning til det N. T., oversat af Stanning. II. 54.

nulla adest ratio, cur eos per omnes coetus celebratos fuisse statuamus.

Ex omnibus igitur, de quibus hoc loco sermonem esse cum aliqua veri specie suspicari possumus, solus nobis superest Lucas, quem ipsum in ecclesia antiqua plurimi testes designant. In epistola Ignatii ad Ephesios — non tamen nisi in recensione interpolata — hæc leguntur: *Ὁ κύριος ἡμῶν - - πρῶτον ἐποίησε, καὶ τότε ἐδιδάξεν, ὡς μαρτυρεῖ Λουκᾶς, οὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ διὰ πασῶν ἐκκλεσιῶν* [1]. Ultima verba e loco nostro desumta esse, dubitari nequit; quum autem Rückertus adseveret, scriptori de hac re nihil magis compertum fuisse, quam nobis, nos quidem, eum meram coniecturam secutum esse, non præfracte negabimus, dummodo concedatur, haud a vero abhorrere, exstitisse aliquam traditionem, cui adsensum tribuerit. Hoc vero eo probabilius videtur, quod etiam Origenes effatum illud Pauli de Luca intellexit. Is enim[2]), laudato Luca, "quoniam ea, quæ scripturus erat, non rumore cognoverit, sed ab initio ipse fuerit consecutus", subiungit: "Unde et ab Apostolo merito collaudatur dicente: Cuius laus in evangelio est per omnes ecclesias. Hoc enim de nullo alio dicitur, nec nisi de Luca dictum traditur[3])." Alio etiam loco, ab Eusebio[4]) servato, Origenes evangelium Lucæ *τὸ ὑπὸ Παύλου ἐπαινούμενον εὐαγγέλιον* vocat. Pari modo Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum: "Lucas - - scripsit Evangelium, de quo Paulus, Misimus, inquit, cum illo fratrem, cuius laus est in Evangelio per omnes ecclesias". Chrysostomus in prooemio commentarii in Acta Apostolorum laudationem Pauli bis ad Lucam refert; ad ipsum autem locum nostrum hæc habet: *Καὶ τίς οὗτος ἐστιν ὁ ἀδελφός; Τινὲς μὲν τὸν Λουκᾶν· καὶ φασι, διὰ τὴν ἱστορίαν, ἥνπερ ἔγραψε· τινὲς δὲ τὸν Βαρνάβαν· καὶ γὰρ καὶ τὸ ἄγραφον κήρυγμα εὐαγγέλιον καλεῖ·* postea vero, ratione habita Act. 13, 2, magis ad Barnabam inclinat[5]). Eadem fere habet Theophylactus ad h. l.

---

1) Apud Cotelerium. II. 54.

2) Hom. 1 in Luc. Opp. ed. Lommatsch V. 89 sq.

3) Ultima enim verba ad præcedentia, non, ut in editionibus, ad sequentia, trahenda sunt.

4) Hist. Eccl. VI. 25, 3.

5) In 2 Ep. ad Cor., hom. 18.

Favent itaque omnino testimonia antiquitatis, quibus inniti quidem minime securum, quæ autem temere negligere nullo modo probari potest, illi opinioni, fuisse Lucam illum legatum, quem quærimus. Hanc vero sententiam Rückertus evertere studuit observando, Lucam Paulo in ultimo itinere ex Macedonia per Achaiam adesse non potuisse, quum de hoc itinere nihil fere habeat, quod narret (Act. 20, 2 sq.), neque ante in comitatu eius reperiatur, quam is Philippis Hierolymam proficisceretur (v. 6). Diligentius autem rem examinanti hæc difficultas plane evanescere videtur. Quantum ex Act. cap. 16mo colligere licet, Lucas, quum anno 52 — iuxta temporum rationem, quam alio loco illustrare conati sumus[1]) — Paulum ex Asia Philippos comitatus esset, in hac urbe remansit. Paulus interea late vagabatur, Corinthi et postea Ephesi diu commoratus, versus finem anni 57 Macedoniam revisit, unde alteram ad Corinthios epistolam scripsit. Tribus deinde mensibus in Achaia consummatis, in Macedoniam rediit, Philippis autem in Asiam enaviganti Lucas denuo adest (Act. 20, 6). Lucas itaque annis interiacentibus, aut semper, aut maxima ex parte, Philippis sedem fixisse videtur. In hac igitur urbe Paulus, ex Asia veniens, eum iterum invenisse videtur; quid ergo veri similius, quam Apostolum, quum comitem Titi quæreret virum auctoritate præcellentem, sive ex ipsis Philippis, sive ex urbe aliqua in vicinia sita legatio fieret[2]), Lucam elegisse? Ex hac legatione Lucam rediisse statuendum est, non enim Corinthi, sed Philippis demum, Paulo abeunti se comitem adiungit. In hoc itinere quum parum cum Paulo conversatus esset Lucas, parum habuit, quod de eo referret, neque multum narratione dignum in eo Paulo accidisse videtur, nisi quod ad eius cum coetu Corinthio coniunctionem adtinet, talia autem coetuum dissidia Lucas adtingere non solet. De se ipse Lucas semper silet, nisi quod se, quum Paulum in itinere sequeretur, modeste comitatui eius insereret; neque hoc loco ullam causam habuit, cur illam legationem, per se non magni quidem momenti, commemoraret.

---

[1]) Annalium Paulinorum adumbratio pag. 18.

[2]) Cfr. Schneckenburger, Ueber den Zweck der Apostelgeschichte S. 27 ff. et Neander, Geschichte der Pflanzung der christl. Kirche I. 340 f.

Observavimus supra, fratrem illum, qui cum Tito mittebatur, insigniora omnino habuisse merita, quibus ab aliis distingueretur. Minime autem idcirco existimamus, Apostolum verbis ἐν τῷ εὐαγγελίῳ significare voluisse, librum, quem iam Evangelium vocamus, ab eo conscriptum esse; bene enim novimus, narrationes de vita Domini illo tempore nondum hac denominatione insignitas fuisse, neque, si id indigitare Paulus voluisset, tam ambigue locutus fuisset, hæc enim verba nihil aliud indicant, quam illum præclaram operam præstitisse "in ministerio evangelii, ad evangelium promovendum", quemadmodum mox 2 Cor. 10, 14 legitur: Ἄχρι γὰρ καὶ ὑμῶν ἐφθάσαμεν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ, et Phil. 4, 3: αἵτινες ἐν τῷ εὐαγγελίῳ συνήθλησάν μοι, et 1 Thess. 3, 2: συνεργὸν τοῦ θεοῦ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ. Nihilominus nostra fert opinio, Paulum hoc loco ad Evangelium scriptum Lucæ respexisse, nullam enim causam habemus, cur existimemus, Lucam in adnunciatione evangelii, quæ ore fit, insigniorem gradum tenuisse, quum contra scriptorum laude sine dubio per omnes ecclesias floreret.

Constat, veteres Paulo partem aliquam in scriptione Evangelii Lucæ tribuisse. Hoc si quis cum Moshemio[1]) existimat significare "Lucam ea, quæ de Christo scripsit, ex Paulo, quem comitabatur, audivisse", fuisse igitur inter eum et Paulum eundem nexum ac inter Marcum et Petrum, nihil magis a vero abhorret; repugnat id prorsus declarationi ipsius Lucæ in fronte Evangelii, et ad partes Evangelistæ, si huic voci hanc significationem, quæ in N. T. nusquam occurrit, tribuimus, suscipiendas nemo minus idoneus Paulo esse potuit, qui omnia ab aliis narrando acciperet, neque multum cum testibus oculatis conversatus esset. Quodsi vero partes Paulo in hac re tribuendæ ita circumscribantur, ut eum liberaliore animi sensu Lucam imbuisse dicamus, nec non doctrinam evangelicam de iustificatione Paulum ei familiariorem reddidisse[2]), non est, cur adversemur. Huic tamen observationi minus ponderis tribuimus, quemadmodum etiam pleraque, in quibus congruentiam inter Paulum et Lucam reperire sibi visi sunt viri docti, prætermittimus. Sunt autem loci non-

---

1) De rebus Christianorum ante Const. M. pag. 87.

2) Schott, Isagoge in libros Novi Fœderis sacros pag. 101 sq. Guericke, Beiträge zur Einleitung ins N. T. S. 49 f. Eiusdem Einleitung in das N. T. S. 275 f.

nulli, in quibus hæc congruentia adeo luculenter, ut vix negari possit, adpareat. Id imprimis in narratione de institutione sacræ coenæ (apud Paulum 1 Cor. 11, 23 sqq., apud Lucam 22, 19 sq.) conspicuum est; hac enim in re Paulus ita a ceteris duobus Evangelistis (Matth. 26, 26 sqq. Marc. 14, 22 sqq.) recedit, cum Luca autem consentit, ut hic consensus non fortuitus existimari possit. Si vero, unde Paulus notitiam suam de illa institutione hauserit, quærimus, ipse nobis respondet: *Ἐγὼ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ κυρίου, ὅ καὶ παρέδωκα ὑμῖν.* Hæc verba Dähnius [1]), Tholuckius [2]), Olshausenius [3]), Er. Möllerus [4]), quin etiam De Wettius [5]), hic tamen quodammodo hæsitans, denuo de revelatione quadam ab ipso Domino profecta interpretati sunt. Verba autem Apostoli, si diligentius examinantur, huic sententiæ non patrocinantur. Usurpatur quidem *ἀπὸ*, quando indicandum est, aliquid ad quemdam tamquam auctorem referendum esse, non vero, quando is, nullo medio interposito, ipse agens introducitur, tum enim *ὑπὸ* vel *παρὰ* ponitur [6]). Paulus in tali occasione sine dubio semper præpositione *παρὰ* utitur, v. c. Gal. 1,12: *Οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον αὐτὸ οὔτε ἐδιδάχθην*, porro 1 Thess. 4, 1. 2 Thess. 3, 6. 2 Tim. 1, 10. Concedimus quidem, potuisse Paulum hoc loco præpositionem minus recte adhibere, quemadmodum, ut observat De Wettius, nemo ex 1 Joh. 1, 5: *ἡ ἀγγελία, ἣν ἀκηκόαμεν ἀπ' αὐτοῦ* elicere possit, scriptorem epistolæ Dominum ipsum non audivisse; propius tamen illud vocabulum rem indicat, Paulo tamquam a Domino institutam traditam, non vero ab ipso Domino compertam, unde Billrothus [7]), non absque veri specie, Paulum, ut innueret, se hæc non coram a Domino, sed per traditionem a testibus accepisse, hoc loco consulto *ἀπὸ*, non *παρὰ*, posuisse, existimat. Quod contendit De Wettius, locum frigidiorem reddi, si statuimus, Apostolum non ad revelationem ipsius Domini provocare, effatumque eius sic obscuritate

---

[1]) Entwickelung des paulinischen Lehrbegriffs S. 13.
[2]) Vermischte Schriften II. 309.
[3]) Commentar über sämmtl. Schriften des N. T. III. 629.
[4]) Forklaring over Pauli første Brev til de Corinthier S. 126.
[5]) Kurze Erklärung der Br. an die Kor. S. 96.
[6]) Winer, Grammatik des Neu-Testamentlichen Sprachidioms. 3 Aufl. S. 318.
[7]) Commentar zu den Briefen Pauli an die Corinther S. 155.

aliqua de industria quæsita laborare, nullo modo concedere possumus. Nihil aliud vult Apostolus, nisi ut iis, qui Christum professi erant, in mentem revocet, sacram coenam, quam celebrandam tradiderat, non esse humanum inventum, sed ab institutione Domini originem trahere, quemadmodum nos etiam nostro iure adseverare possumus, nos sacramenta ecclesiæ nostræ a Domino accepisse. Paulus hoc loco eodem modo loquitur, quo paulo post in eadem epistola 15, 3: *παρέδωκα ὑμῖν ἐν πρώτοις, ὃ καὶ παρέλαβον*, ubi vix quisquam existimabit, eum revelatione Domini cognitum habuisse, quibus testibus is post resurrectionem adparuerit. Verum etiamsi statuitur, Paulo de sacra coena peculiarem aliquam revelationem contigisse, vix tamen contendet quisquam, unumquodque verbum in narratione, v. c. *μετὰ τὸ δειπνῆσαι*, ei revelatum fuisse, atque adeo quæstio illa revertitur, quomodo congruentia Pauli cum Luca in hac narratione explicanda sit. Hic autem minime verisimile est, Lucam in hac narratione, quam certe, quemadmodum coeteras narrationes, a testibus oculatis, scripto vel ore, accepit, literis mandanda epistolam Pauli ad Corinthios evolvisse, ut unum hunc locum describeret, quum multo propius sit statuere, Paulum, quum Corinthiis institutionem sacræ coenæ copiosius exponere vellet, scriptam aliquam relationem de vita Domini inspexisse vel memoria tenuisse, quam ipsam Lucæ fuisse, ex consensu adparet.

Sunt etiam alii loci, qui Paulum Evangelium Lucæ legisse produnt. Ita verba Pauli 1 Cor. 10, 27: *Πᾶν τὸ παρατιθέμενον ὑμῖν ἐσθίετε* non possumus, quin ad effatum Christi apud Lucam 10, 8: *Ἐσθίετε τὰ παρατιθέμενα ὑμῖν* referamus. Iis autem, qui nobiscum authentiam prioris epistolæ ad Timotheum agnoscunt, maxime notabilis erit locus 1 Tim. 5, 18: *Λέγει γὰρ ἡ γραφή· βοῦν ἀλοῶντα οὐ φιμώσεις· καὶ ἄξιος ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ.* Ultima verba neque ex Lev. 19, 3 neque ex Deut. 24, 15 desumta esse possunt, leguntur autem ut effatum Christi Matth. 10, 10, cum aliqua tamen variatione (*ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐστιν*), ad verbum vero apud Lucam 10, 7. Nihil est, quod nos statuere cogat, Paulum hæc verba aliunde desumta adlegare, neque in iis vulgare proverbium, iisdem verbis, quibus tam apud Paulum quam apud Lucam legitur, expressum, agnoscere possumus; videntur autem illa verba ex Evangelio Lucæ Apostoli animo obversata fuisse, iisque

ad communem illam sententiam, quam inculcare voluit, exprimendam usus est [1]).

Quum vero iam Moshemius, Lucam tunc temporis Evangelium suum conscripsisse neget, neque igitur ad scriptum Evangelium hoc loco respicere potuisse Apostolum, contendat [2]), multo magis hac nostra ætate, quum tam diu summis viribus artis criticæ periti scripta Evangelica quantum fieri potest posteriori tempori adsignare adnisi sunt, exspectandum erit, ut illa sententia, Paulum Evangelium Lucæ legere potuisse, omnium fere suffragio explodatur. Fortassis tamen ipsa dubitandi libidine eo perducta res est, ut ingenuus lector, missis præconceptis opinionibus, secum consideret, num revera aliquid obstet, quo minus Lucam Evangelium suum tam mature conscripsisse, ut Paulus, quum priorem ad Corinthios epistolam exararet, id legere potuerit, statuamus. Nos quidem non movet, quod Crednerus [3]) aliique adserant, non multum temporis interfuisse inter Evangelium et Acta Apostolorum conscripta, quæ quidem non ante literis mandata esse possunt, quam Paulus biennium in custodia Romana transegerat. Illud enim unde sciunt? quo iure statuimus, Lucam, primo scribendi experimento facto, in hoc studio perseverasse, et utrumque librum non longo intervallo concinnasse? Multo verisimilius videtur, Lucam, quum Evangelium suum composuisset, idque coetibus christianis acceptum esse comperisset, materiam novi operis collegisse, neque ante elaborasse, quam ad novam epocham vita Pauli perducta esset. Abrupta enim huius libri conclusio indicare videtur, in animo habuisse Lucam narrationem in alio opere continuare, id quod non effectum esse vehementer dolendum est. Veteres quidem ecclesiæ scriptores nec non in codicibus subscriptiones Evangelium Lucæ ad antiquiora tempora referunt; his autem testimoniis, per se incertis sibique invicem contradicentibus, nulla fides haberi potest. Verum enimvero, quum passio Christi maxima probabilitate ad annum Romæ 782, nostræ æræ 29, referatur [4]), quumque, ut

---

[1]) Cfr. Ebrard, Wissenschaftliche Kritik der evang. Geschichte II. 984. sq.

[2]) Erklärung des 2ten Briefes an die Gemeinde zu Corinthus, herausg. von Windheim. S. 441.

[3]) Einleitung in das N. T. I. 159.

[4]) Vid. Programma nostrum De momentis chronologicis in vita Jesu Christi pag. 16.

alio loco monstrare studuimus[1]), prior ad Corinthios epistola a. 57 scripta sit, altera vero sub finem eiusdem vel in initio insequentis anni, elapsi iam erant 28 anni post conditam ecclesiam christianam; hoc temporis spatio late per terras propagatum est evangelium, neque fieri non potuit, quin ii, qui aut fidem ei iam haberent, aut eius notitiam pleniorem adquirere cuperent, accuratam de vita Domini eiusque sermonibus et factis narrationem desiderarent, atque adeo, qui ad hanc rem idonei essent, ad hæc literis mandanda impellerentur[2]). Summo igitur iure statuere nobis videmur, iam illo tempore "multos talem narrationem contexere adgressos", Lucamque, quem intima familiaritate primorum testium fruentem reperimus, eorum vestigia secutum esse.

Matthæum iam illo tempore Evangelium suum composuisse, æque verisimile est et testimoniis totius veteris ecclesiæ confirmatur; id autem quum hebraico vel aramaico sermone confecisset, tanto minus erat, cur Lucas, multa præterea habens quæ adderet, a novo Evangelio græco sermone adornando abstineret. Quid autem de Marco dicendum est? Magis magisque se doctis commendat illa sententia — cui nos etiam calculum adiicere non dubitavimus[3]) — Marcum ante Lucam scripsisse, eiusque Evangelium inter fontes Lucæ fuisse. Tota autem antiquitas testatur, Marcum Petri de Domino narrationes literis consignasse, necnon Marcum cum Petro Romæ fuisse, ibique sine dubio Evangelium suum conscripsisse.

In commentatione, anno 1813 divulgata[4]), de prima commoratione Romana Apostoli Petri, evincere conati sumus, Petrum sub finem imperii Claudii vel in initio imperii Neronis Romam venisse; mortuus autem est Claudius a. 54. In eadem commentatione simul monstravimus, quibus difficultatibus se implicent, qui ex 1

---

[1]) Annalium Paulinorum adumbratio pag. 22 sq.

[2]) Adserit quidem Gfrörerus (Die heilige Sage I. 67) primos evangelii adnunciatores non ad scribendum proclives fuisse, hominisque ætatem præteriisse. antequam historia Jesu literis mandaretur. Hoc autem unde compertum habeat, non addit. Lucas certe, qui tamen hac ætate vixit, multos iam hanc rem adgressos fuisse, declarat.

[3]) Om de synoptiske Evangelier. Theologisk Tidsskrift, udg. af Scharling og Engelstoft. B. 6. H. 1. S. 142 ff.

[4]) Videnskabelige Forhandlinger ved Siellands Stifts Landemode. B. 2.

Petr. 5, 13 colligunt, datam esse hanc epistolam ex Babylone Asiatica, illo tempore devastata et desolata [1]); neque de Babylone Ægyptiaca hoc loco cogitandum esse; omnia autem liquida esse, si cum veteribus statuamus, Petrum hoc nomine Romam designasse, de qua urbe primis Christi cultoribus eadem sentire ac Judæi de Babylone, iustissima erat causa, quapropter etiam auctor libri Apocalypseos dirissimis minis in eam invehitur. Potuit sane, qui in tali urbe collectus erat coetus Christianorum, ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ adpellari, neque de loco, unde data erat epistola, dubii hærere potuerunt, qui eam primum legerent, quum Silvanus, per quem ipsis tradita est, ubi Petrus degeret, coram indicaret. De successu sententiæ nostræ non est, quod hactenus gloriemur; acerrime eam a Bauro [2]) oppugnatam, vix tamen profligatam esse, satis constat. Jam vero faustiora tempora oriri videntur, quum testimonia antiquitatis non prorsus, ut diu mos erat, pro nihilo habeantur; sententiæ a nobis defensæ accesserunt inter novissimos Windischmannus [3]) et Thierschius [4]), nec non priorem epistolam Petri Romæ scriptam esse existimant Hitzigius [5]) et, licet hæsitanter, Guerickius [6]). Maiorem fortasse adtentionem in se hæc quæstio convertet, si Marco cum inter Evangelistas locum, qui ei sine dubio competit, vindicare contigerit.

---

[1]) l. c. pag. 176 sqq. Kleine theologische Schriften S. 160 ff. Vid. etiam Hug, Einleitung in die Schriften des N. T. 3 Aufl. II. 552. Gesenius, Commentar über den Jesaia I. 2 Abth. S. 470. Rosenmüller, Handbuch der biblischen Alterthumskunde I. Th. 2. S. 13 f.

[2]) Die Christuspartei in der Corinthischen Gemeinde, der Apostel Petrus in Rom. Tübinger Zeitschrift für Theologie. 1831. H. 4. S. 181 ff. Eadem repetiit in libro inscripto: Paulus, der Apostel Jesu Christi pag. 675. Cfr. quæ contra breviter monuimus in commentatione Om de synoptiske Evangelier pag. 147.

[3]) Vindiciæ Petrinæ. Ratisb. 1836. pag. 73 sqq. 112 sqq.

[4]) Versuch zur Herstellung des historischen Standpuncts für die Kritik der neutestamentlichen Schriften S. 109.

[5]) Ueber Johannes Marcus S. 186.

[6]) Einleitung in das N. T. S. 453.

Jam vero officii nostri est, solennitatem ecclesiæ nostræ, inaugurationem Episcopi Islandiæ, indicere. Succedit is seni Reverendissimo, *Steingrimo Johnsen*, Ordinis Danebrogici Commendatori eiusdemque Ordinis cruce argentea ornato, qui per viginti et unum annos hanc sedem doctrina, pietate morumque gravitate ornavit. Huic defuncto a Rege Augustissimo successor datus est Vir Summe Venerandus *Helgius Gudmundi Thordersen*, Ordinis Danebrogici Eques, hactenus Præpositus honorarius et ad ædem Reikiavicensem sacrorum minister. Js, ad novum munus suscipiendum se adcingens, vitæ anteactæ decursum ipse succincte delineabit.

Natus sum ego Helgius Gudmundi Thordersen die octavo mensis Aprilis Anno 1794 in emporio Reykjavík, quod in meridiano quadrante Islandiæ situm est.— Patrem habui Gudmundum Thordersen, qui anno 1803, cum paucos annos præfuisset mercaturæ Flensburgensium in Hafnarfiord, me unicum filium & septem filias relinqvens, obiit, & matrem Steinunam Helgii filiam, adhuc superstitem. — Hi mei parentes, rustico genere nati, magnam sibi laudem ingenio, integritate & innocentia vitæ paravere. Duobus annis interjectis mater secundas contraxit nuptias cum vigilantissimo verbi divini ministro Brinjulvo Sivertsen, qui non minus amore vere paterno quam precibus matris adductus, me in scholam latinam misit Anno 1809, unde Anno 1813 honorifico testimonio dimissus fui.

Propter penuriam rei familiaris nulla mihi fuisset spes majoris progressus, nisi unus ex amicis defuncti patris, vir præstantissimus, mercator Bjarni Sivertsen, eqves ord. dannebrog., ad studia in Universitate Havniensi continuanda pecunia me sublevasset. — Lætus et spe ductus ulterioris perfectionis Havniam me contuli anno 1814, & paucis postqvam huc ventum est diebus examen artium et anno subseqvente examen philologicum et philosophicum cum laude sustinui. — Ob adversam valetudinem coactus sum Anno 1816 patriam terram adire, unde, paululum recreatus, eodem anno Havniam reversus sum et ad studium theologicum me applicavi. — Semper usus valetudine adversa, quæ me sæpe in studiis meis interpellabat, propositum tenui cursum meum academicum qvamprimum absolvere, qvod et mihi contigit Anno 1819, et communi censorum suffragio characterem "lau-

dabilis" obtinui. — Domum profectus, cum nulla se offerret occasio muneris obtinendi, in oppido Reykjavik pueris informandis operam dedi, qvod idcirco imprimis affero, qvod hinc repetenda est prima origo ejus ludi puerorum, qvi nunc ibi fundatus est. — Anno 1820 cura pastoralis paroeciæ Saurbajensis intra toparchium Borgarfiordensem mihi demandabatur. — Anno 1825, die 4to mensis Maii, a rege clementissimo Frederico VI mihi conferebatur paroecia Oddensis in toparchia Rangarvallensi & anno postea præpositi munere honoratus fui. Inde Oddæ habitavi usqve ad annum 1836, qvo tempore Reykjavik migravi, a rege anno antea electus pastor ecclesiæ, qvæ ibi est, cathedralis. — Anno 1840 Rex augustissimus Christianus VIII me dignum censuit, qvem signo aureo ordinis Dannebrogici ornaret, & cum Islandis clementissime dedisset ut haberent ipsi sua comitia — Althing — qvæ prima vice anno præterito habita sunt, jussit me iis interesse. — Deniqve Rex noster clementissimus die 25to Septembris anni præteriti me designavit episcopum totius Islandiæ & jussit me data occasione proficisci Havniam, ut a Reverendissimo Selandiæ Episcopo inaugurarer. Gravissimum munus, exiguæ vires, difficilia tempora! Adhuc semper expertus gratiam divinam, qvæ infirmum adjuvabat, nunc quoque, gravissimum munus suscepturus, totam spem repono in eodem, Deo Optimo Maximo, qvi hactenus mihi erat refugium & præsidium.

Deniqve de rebus Domesticis hæc pauca addere licebit, me ante hos viginti sex annos matrimonio felicissimo duxisse virginem Ragnheidam Stephensen, filiam præfecti qvadrantis Islandiæ occidentalis, illustrissimi Stephani Stephensen. Hæc dilectissima uxor fecit me patrem decem liberorum, quorum nunc duo tantummodo superstites sunt, filius & filia.

Nulla sunt scripta a me prelo subjecta, nam orationes peculiaribus occasionibus habitæ hic afferri haud merentur.

Instante itaque tempore inaugurationis Episcopi Summe Venerandi, Deum Optimum Maximum, ut illi per multos annos laudes iam partas novis meritis augere liceat, omniaque eius conamina ad Dei Triunius gloriam et Ecclesiæ commodum bene vertant, sincero pectore oramus. Nostris autem precibus ut suas adiungant, solennemque hanc inaugurationem, quæ, ex mandato Regio, in æde Divæ Virginis ~~die festo Adscensionis Christi~~, qui est ~~21mus~~ mensis ~~Maii~~, peragetur, sua præsentia condecorent, proceres reipublicæ, antistites ecclesiæ, omnesque, quibus res ecclesiasticæ cordi sunt, omni observantia rogamus.

Dom. IV post festum S. S. Trinitatis — dies Vtas — Julii

Datum Hauniæ ex ædibus episcopalibus, die ~~XIV Maii~~ XXIX Junii MDCCCXLVI.

Sub Officii Nostri Sigillo.



